

1588

non suppetunt. Hi aliquot ante annos, Epernonio suadente, ut a regio nunquam latere discederent, instituti, Guisio potissimum suspecti erant; iisque ut aliquando dimitterentur, curaverat. Ex his septem vel octo reliquis audaciores ad se Rex vocat: de praesentium rerum statu docet; quae in ipsum, atque adeo in universum regnum foederati moliantur, exponit; quae agere velit, imperat. Haud multo post Guisium adcerdit; quem eo statim nuntio perculsum expalluisse ferunt; attamen cubiculum Regis conclavi proximum ingressus, custodias praeter morem dispositas conspicatus, dissidentia majori oborta, pedem ne referret, hæsitabundus substitit. At rursus spiritu ac vigore sumpto, proprius accessit; ex nobilitate Lognacum nomine, sibi antea suspectum, intuitus, magis magisque perculsus est. Is cum aliis ad id selectis imperata Regis faciunt; irrumpentes momento Ducem prosternunt; gladiis ac pugionibus confodiunt atque obtruncant. Vehementi statim clamore oborto, Cardinalis Guisius, Ducus frater, cum aliquot e suis ex aula, in qua erat, ingenti terrore correptus, ut sibi consulat, repente fese proripit; a Scotorum custodia una cum Borbonio Cardinale, Janvilio Principe, Elbeufio Duce, Lugduni Archiepiscopo, comprehenditur. Ad haec Pericortius, Guisii a secretis, cum supplicibus libellis scriptisque capitur. Improviso hoc atque inopinato eventu tota civitas commota, quotquot comitiis intererant attoniti; at plerique, Duce extincto, actam tragœdiam arbitrabantur. Verum cum Cardinalis, gravi adeo ruina in praëceps labente domo, nimio fratris dolore impotens, multa irarum, multa minarum verba in Regem effusisset, fraterni criminis reus habitus, haud multis interjectis horis in carcere, Henrici ius-
su, necatur. Eo auditio, Joannes Franciscus Maurocenus, Pontificis legatus, Regem adit; in anathematis sententiam incidisse obnuntiat; Borbonum Lugdunensemque e carceribus dimitti petit; a Pontifice errati veniam petere admonet. Cui Henricus: *Supremis Principibus licere, cum de gravissimis criminibus agitur, in omnes sibi subjectos animadverte-re; seque Pontificum privilegio munitum a fidelium communione amoveri non posse*, respondit. Blæsis acta, illico missis in singulas provincias literis, vulgari curat; Carolum May-

Guisius
Dux Regis
iussu inter-
ficietur, &
foederari
proceres
comprehen-
dantur.

Guisii Car-
dinalis ca-
des.

Joannes
Franciscus
Mauroce-
nus, Ponti-
ficis legatus,
Regi ana-
thema ob-
nuntiat.

niuum